









DE CONIUNCTIONUM CAUSALIUM APUD GAIUM SUETONIUM TRANQUILLUM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS TRACHMANN

POSNANIENSIS.

HALIS SAXONUM.

MDCCCLXXXVI.

BEROLINI,

TYPIS EXPRESSIT F. HOFFSCHLAEGER.

CAROLO NEBESKY,

AVUNCULO DILECTISSIMO,

GRATO PIOQUE ANIMO.

Usum atque elocutionem Suetonianam quamquam Thimm[1]) et Bagge[2]) quam diligentissime atque acutissime perscrutati sunt, tamen, cum universo Suetonii dicendi generi pervestigando operam navarent, multa et omiserunt et minus copiose exposuerunt. De coniunctionum usu in libris eorum fere nihil legitur. Itaque, quod disputationem suscepi diligentiorem de coniunctionum causalium apud Suetonium usu, ne studium atque laborem profuderim aut perdiderim, non vereor. Neque enim, quoniam nisi singulis persequendis disciplinam grammaticam accurate fundatam exstrui non posse inter homines doctos constat, mihi persuadere possum, operae pretium non esse, harum particularum usum, ut plane dilucideque ante oculos versetur, patefacere atque illustrare.

Ab hac disputatione procul esse volui eam partem libri Suetonii, qui „de illustribus viris“ inscribitur, quae aetatem tulit; nam adeo mutilata atque exigua est, ut huic quaestioni tractandae non satis usui esse possit. Libros, ut hoc addam, ex quibus hanc disputationem componens fructum percepi, suo quemque loco indicavi; exempla autem allata ad editionem Rothii expressi, a quo tamen, si quis orthographiam spectat, saepius discessi, quia, ubique librorum auctoritati obsecutus, non certum aliquem scribendi modum retinuit[3]).

---

1) „De usu atque elocutione C. Suetonii Tranquilli“ Regiomonti 1867.

2) „De elocutione C. Suetonii Tranquilli“ Upsalae 1875.

3) Rothius in praef. p. XXXVI.

§ 1.

Quod.

Instituenti mihi disputationem de „quod“ particulae usu solius causalis, quam vocant, particulae „quod“ vim ac rationem definire difficillimum atque ineptissimum videtur, quia persaepe in angustias adducimur, utrum causalem particulam „quod“ intellegamus an explicativam. Itaque, in universo particulae „quod“ usu quaecunque maximi ponderis atque momenti esse visa sunt, deinceps in medium proferre fructuosius esse putavi. Atque primum quidem neglecta modorum ratione de ipsa coniunctione „quod“, deinde de modorum huic particulae subiunctorum usu maxime memorabilia annotabo. In materia autem disponenda in universum Kühnerum[1]) sequi mihi liceat, cuius exemplum laudantem etiam Güntherum[2]) materiam composuisse video.

I. De ipsa „quod“ coniunctione.

Enuntiata, quae ex „quod“ particula suspensa sunt, aut vim explicativam habent, ita ut enuntiationis principalis aut singula verba aut totam explicent sententiam, aut causam afferunt enuntiati primarii.

1) Atque primum quidem non desunt exempla, in quibus „quod“ particula appositionem quandam explicativam introducat aut substantivi aut pronominis demonstrativi in enuntiatione principali collocati. Convertimus „dass“ „dass nämlich“.

a) Substantiva coniuncta sunt cum enuntiatis a „quod“ pendentibus, quae, cum praecedentis substantivi vim accuratius explicent, appositionis vice funguntur. Reussius[3]), cuius libellum saepius mihi usui fuisse grato animo profiteor, hunc usum apud Tacitum in maioribus scriptis — in minoribus illum non exstare docet — tam frequentem invenit, ut „in

---

1) „Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache“. Hannover 1877—79. II, 2, § 192.

2) „De coniunctionum causalium apud Quintilianum usu“ Halis 1881. Libellum saepius non sine emolumento inspexi.

3) „De coniunctionum causalium apud Tacitum usu“ Halis 1876. p. 21.

numerum proprietatum Taciti dicendi generis eum collocare“ non dubitaverit. Neque Suetonii Caesarum vitis haec dicendi ratio, quamquam rarius occurrit, omnino deest.

Nominativum vel dativum substantivi enuntiatione causali ex „quod“ suspensa explicari, exemplis comprobare non possum. In genetivo autem substantivum, quod explicatur, positum est G. 12: „praecesserat de eo fama saevitiae simul atque avaritiae, quod civitates Hispaniarum Galliarumque . . . . gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punisset et . . . . affecisset, quodque oblatam coronam auream librarum quindecim conflasset ac tres uncias, quae ponderi deerant, iussisset exigi“. Illud „gravioribus tributis punire“ saevitia est, illud „conflare atque exigere“ avaritia.

Accusativi haec afferre possum exempla: C. 7: „animadversa . . . . Magni Alexandri imagine ingemuit, et quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihildum a se memorabile actum esset, . . . efflagitavit.“ Enuntiatum causale, quae fuerit ignavia, explicat, cuius Caesarem pertaesum est. Dom. 10: „Aelium Lamiam (sc. interemit) ob suspiciosos quidem, verum et veteres et innoxios iocos, quod . . . dixerat, quodque responderat.“

Neque huc referre dubito Cl. 40: „de quaestore [1]) quodam candidato inter causas suffragationis suae posuit, quod pater eius frigidam aegro sibi tempestive dedisset.“ Haec enim verba profecto ita construenda sunt: inter causas posuit eam causam, quod . . . dedisset. Porro Cal. 19: „avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam (sc. eam causam), quod Thrasylus mathematicus anxio Tiberio . . . affirmasset.“

In ablativo substantivum collocatum est Cl. 25: „Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum et fiducia commotus, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut condicionem suam praedicantes;“ et Dom. 14: „minimis etiam suspicionibus praeter modum commovebatur; ut edicti . . . .

[1]) Rothium, qui Beroaldo, Graevio, Ernestio praecedentibus correctionem „quaesturae“ adoptavit, minime laudare possum. Bene enim Wolfius contra Ernestium monet, candidatum illum intellegi posse vel quaesturae vel alius muneris.

gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quam (sc. ea re compulsus) quod sparsi libelli . . . . erant.“ Item Vit. 4.

His locis simillimus hic est, cuius interpretatio quidem non plane certa est, Ner. 41: „cetera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam (sc. eo argumento) quod etiam inscitia sibi tanto opere elaboratae perfectaeque a se artis obiceretur.“ Quae quidem verba Bremio auctore hunc in modum accipias velim: „cetera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam hoc argumento: omnia convicia falsa esse, iam inde perspicuum esse, quod etiam inscitia sibi artis citharoedicae obiceretur.“ Neque minus apte hic conferendum puto Ner. 30: „laudabat mirabaturque avunculum Gaium nullo magis nomine, quam (sc. eo) quod . . . . prodegisset.“

Substantivum ex praepositione „de“ suspensum explicatur Cal. 35: „Ptolemaeum . . . . non alia de causa repente percussit, quam quod . . . . animadvertit.“ Ex praecedentibus verbis „non alia de causa“ post „quam“ vocem supplenda sunt „ea de causa“.

De iis, quae legimus A. 66: „desideravit nonnunquam M. Agrippae patientiam et Maecenatis taciturnitatem, cum ille ex levi frigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se . . . contulisset, hic . . . . prodidisset“, facere non possum, quin pauca annotem. Nihil dico de mendosa codicum scriptura „rigoris“, pro qua sine dubio Lipsius optime in textu collocavit „frigoris“ „Abnahme der Zuneigung“; sed Bremio assentiendum esse nego, qui verbis „et quod . . . anteferretur“ auctorem nihil nisi vocem „frigoris“ explicare velle dicit, quamquam concedo, a Suetonio saepissime verba ita coniungi, ut sequentibus verbis, particula quadam copulativa vel alius generis introductis, ea, quae praecedunt, accuratius definiantur. Unum alterumve, ne longus sim, ponam ex infinita fere copia exemplum maxime idoneum.

C. 68: „centuriones cuiusque legionis singulos equites e viatico suo obtulerunt, universi milites gratuitam et sine frumento stipendioque operam.“ Gratuita opera militum opera sine frumento stipendioque est.

A. 14: „incolumis ac sine iniuria.“ Incolumis est sine iniuria.

Ner. 25: „dehinc, diruto Circi maximi arcu, per Velabrum forumque Palatium et Apollinem petiit.“ Hoc loco Ernestius non recte Apollinem intellexit Capitolinum, nam „et“ particula „und zwar“ vertendum est; dilucide enim Baumgarten-Crusius disputat „Palatium et Apollinem“ esse montem Palatinum templumque Apollinis in eo monte situm, quoniam artium, non belli fuisset victoria.“

Baumgarten-Crusius in „corollario de genere dicendi Suetonii“ hanc dicendi rationem Suetonio usitatissimam universa „pleonasmi“ significatione complexus haec disserit: „Ad facilitatem cognitionis secundum partes orationes, quas dicunt, iuncta ab auctore vocabula disposuimus.[1]) In plerisque auctam additamento vim sententiae, vel interpretationem priori accessisse, et primo aspectu apparet, et passim in ipso indice monuimus. Sed ita assuevit scriptor rei, ut praeter necessitatem etiam et inepte augeat subinde voces, in quibus distinguendis si quis laborare velit, argutari eum saepius et operam perdere oporteat.“

Hanc igitur verba coniungendi rationem apud Suetonium valde fluctuare quamquam manifestum est, tamen Bremium structuram verborum „ex levi frigoris suspicione et quod .... anteferretur“ perperam interpretatum esse contendo. Non solum vox „frigoris“ explicatur, sed nova etiam adiungitur causa, ita ut inconcinnitas illa elocutionis, de qua Reussius l. l. p. 9. Draegerum[2]) secutus agit, hic sit statuenda: „ex inconcinnitate quadam haud raro inter enuntiata causalia et substantiva, participia etc., quibus causa aliqua continetur, parataxis exsistit“. Liceat autem, quo magis legentium commodis serviam, omnes locos, quibus hanc inconcinnitatem apud Suetonium deprehendi, iam hic commemorare, quamquam his in exemplis non solum explicativam „quod“ particulae vim statuendam esse scio, sed etiam causalem.

„Et quod“ causae affirmative expressae alteram addit Cal 39: „modo avaritiae singulos increpans, et quod non puderet eos locupletiores esse quam se.“ Scriptori concinnitatis appetenti atque elegantiae maioris verba certe hunc in

---

[1]) Memorabilia hac de scribendi consuetudine Suetoniana etiam Bremius in annotatione ad C. 49. verba: „ad cyathum et vinum“ collegit.

[2]) „Ueber Syntax und Stil des Tacitus“ Leipzig 1874. § 233,14.

modum coniungenda erant: modo avaritiae singulos increpans et impudentiae, quod locupletiores essent quam se, ita ut enuntiatum ex „quod" suspensum et avaritiam et impudentiam explicaret. Porro Cl. 46., quo loco non minus explicativa particulae vis invenitur: „praesagia mortis eius praecipua fuerunt: exortus crinitae stellae, quam cometen vocant, tactumque de caelo monumentum Drusi patris, et quod eodem anno ex omnium magistratuum genere plerique mortem obierant." Causalis contra significatio est Cl. 11: „tribunis modo ac centurionibus paucis . . . . interemptis, exempli simul causa et quod suam quoque caedem depoposcisse (sc. eos) cognoverat."

„Vel quod" formula utitur Suetonius, ut novam causam adiungat, Cal. 27: „multos condemnavit, aut . . . . coercuit, ... aut dissecuit; nec omnes gravibus ex causis, verum male de munere suo opinatos, vel quod nunquam per genium suum deierassent." Usitatius fuit: verum quod male opinati essent, vel quod . . . deierassent. A. 7. „quod" explicativam habet vim: „infanti cognomen Thurino inditum est in memoriam maiorum originis (i. e. in memoriam eius rei, quod maiores inde originem duxerant), vel quod regione Thurina recens eo nato pater . . . . . . rem prospere gesserat."

Causam negative expressam Suetonius corrigit „sed quod" particulas usurpans. Sic Cal. 17: „tertium (sc. consulatum) Lugduni iniit solus, non, ut quidam opinantur, superbia neglegentiave, sed quod defunctum sub Calendarum diem collegam rescisse absens non potuerat."

b) Iam exempla in medium profero, ubi „quod" particula aliquid affert, quo pronomen correlativum enuntiati principalis explicetur; germanico sermone dicimus: „der Umstand dass".

In nominativo casu pronomina posita sunt. Legimus „illud quod" Cl. 29: „nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit [1])." „Non aliud" praecedit Tib. 49: „ut quibusdam non aliud sit obiectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent." Pronomen demonstrativum

---

[1]) Quo de loco etiam sub e, p. 15. et sub II, 2, a, p. 24. nonnulla disputantur.

in numero plurali positum est, ita ut reperiamus „illa quod", Cl. 16: „fuerunt et illa in censura eius notabilia, quod .... imperavit; quodque .... proposuit."

Plerumque autem Suetonius pronomen demonstrativum in enuntiatione primaria omisit, id quod etiam Güntherus l. l. p. 22. de Quintiliani usu docet et Reussius l. l. p. 24. de Taciteo. Sic A. 14: „saluti fuit (sc. id), quod, qui desiderabatur, repente comparuit incolumis ac sine iniuria". A. 88: „nam quod saepe .... aut permutat aut praeterit, communis hominum error est." Sed hoc de loco infra sub I, 2, d, uberius dicendum est. cum Baumgarten-Crusius elliptico particulae „quod" usui hic locum dederit.

Porro nominativus „id" omittitur C. 50: „exprobratum est quod"; C. 68: „testimonio est, quod"; A. 51: „cum obiceretur, quod"; Tib. 61. et 49. et Ner. 37: „obiectum est, quod". Ex M. Antonii autem epistola ad Augustum data haec verba sunt A. 69: „quid te mutavit, quod reginam ineo?"

His in exemplis enuntiationes causales pro subiecto positae sunt. Sed cum saepissime fieri soleat, ut enuntiata a „quod" pendentia obiecti vice fungantur, Suetoniusque semper accusativum pronominis in enuntato primario omiserit, rem exemplis comprobare nolo. Hoc unum commemoro, minime huc pertinere C. 86. Nam si legimus: „suspicionem Caesar quibusdam suorum reliquit, neque voluisse se diutius vivere neque curasse, quod valetudine minus prospera uteretur; ideoque .... neglexisse ... ", certe cum Baumgarten-Crusio faciendum est, qui in indice sub voce „quod" recte monet: „cave „quod" ne referas ad vocem curasse, ut Perizonius erravit ad Sanct. p. 619. ed. Scheid." Neque enim, quod Caesar non curaverit, explicatur, sed causa additur, cur Caesar diutius vivere neque voluerit neque curaverit.

Genetivi explicati duo exempla occurrunt. A. 7: „infanti cognomen Thurino inditum est in memoriam maiorum originis, vel quod regione Thurina recens eo nato pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat," id est: cognomen inditum est in memoriam maiorum originis, vel in memoriam eius rei (des Umstandes, dessen), quod pater et quae sequ. Item Cal. 39: „poenitentiam simulans (sc. eius rei), quod principalium rerum privatis copiam faceret."

Ablativus „eo" subaudiendus est A. 37: „nec obtinuit...

reclamantibus cunctis satis maiestatem eius imminui (sc. eo. dadurch dass), quod honorem eum non solus sed cum altero gereret.“ Porro Cl. 29: „officio milites functos, quod . . . . ultro procucurrissent“; G. 20: „maxime irritati, quod . . . exierat in vulgus“; G. 6: „maxime insignis, quod . . . cucurrit“. A. 99: „unum . . . signum alienatae mentis ostendit, quod subito pavefactus . . . . questus est“.

Restat, ut pauca disputem de G. 3: „qui primus Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hispaniae frustra diu oppugnatum illitis demum galbano facibus succenderit; alii, quod in diuturna valetudine galbeo, id est remediis lana involutis, assidue uteretur; nonnulli, quod praepinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocent; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quae in aesculis nascuntur appellanturque galbae.“ Hoc enim loco in dubio relinquitur, utrum „quod“ causalem habeat significationem an explicativam. Illud „unde“ enim respicienti optimo iure „inde“ ante „quod“ particulam supplendum esse videbitur, ita ut „quod“ sit explicativum, qui sententiarum nexus maxime mihi placet propter vocis „trahendi“ vim; tamen propter „cur“ vocem non minus recte particulae „quod“ causalem vim tribui posse, quis est, quin concedat?

c) Videamus nunc, qui sit dicendi formularum „nisi quod“ et „tantum quod“ usus Suetonianus. „Praeterquam quod“ non legitur.

„Nisi quod“ „ausgenommen dass“ „allerdings“ quattuor locis legitur post enuntiationem affirmative expressam. Atque ad significationem explicandam atque usum huius formulae quod attinet, Reussius l. l. p. 26. et Güntherus l. l. p. 26. optime Wexium sequuntur, qui ad Taciti Agr. 6. hac de formula haec docet: „Nisi quod“ dicunt Latini, cum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut, quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiciant.“ De grammatica vero huius formulae explicatione, nisi quod negandum contendo „quod“ particulam talibus in enuntiatis „esse et manere causalem“, Schwarzio assentior ad Plin. Paneg. 86, 5. haec commentanti: „hanc ipsam locutionem primum quidem speciem quandam pleonasmi prae se ferre, sicuti istas particulas „nisi

si" „quod si" etc., sed re ipsa magis ellipsin involvere, per quam auctor se quasi corrigat; atque adeo illam particulam exceptivam „nisi" pro „sed" sive „verum" poni; particulam autem „quod" esse et manere causalem". Quae si in universum probaverimus, huiusmodi elocutionis exempla Suetoniana facile interpretabimur; quae enim ad sententiam explendam desiderabimus, ex principali enuntiatione facillime addere poterimus.

Legitur „nisi quod": Dom. 4; C. 45; Vesp. 4; Vit. 7.

Dom. 4: „assidentibus Diali sacerdote et collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat et ipsius imago." Probe etiam hoc de loco Schwarzius l. c.: „nisi quod" i. e. verum ex ea parte non par erat habitus, quod". Suetonius absolute pronuntiatam sententiam „pari habitu assedisse sacerdotes" ita restringit enuntiato per „quod" introducto, ut coronas dissimiles fuisse scribat: principem gestasse coronam „cum effigie Jovis ac Junonis Minervaeque", sacerdotes etiam principis cum imagine.

C. 45: „fuisse traditur excelsa statura ..... valetudine prospera; nisi quod tempore extremo repente animo linqui atque etiam per somnum exterreri solebat", i. e. valetudine prospera, verum non per omnem aetatem, quod extremo tempore .... solebat. Verbis a „nisi quod" pendentibus vox „prospera" accuratius terminatur vel potius corrigitur.

Vesp. 4: „exin sortitus Africam, integerrime nec sine dignatione [1]) administravit, nisi quod Hadrumeti seditione quadam rapa in eum iacta sunt." Determinatur „nec sine dignatione", ita ut hunc in modum verba coniungenda sint: summa cum dignatione administravit, verum non semper honore auctus est, quod aliquando ... iacta sunt.

Denique accedamus ad Vit. 7., quo loco, quid auctor explicare velit additamento particulis „nisi quod" facto, prorsus intellegimus, cum, quid ad sententiam explendam addendum sit, non in promptu sit. Verba haec sunt: „a Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum putant T. Vinii suffragio, tunc potentissimi, et cui iam pridem .... conciliatus esset; nisi quod Galba prae se tulit, nullos minus metuendos, quam qui de solo victu cogitarent, ac posse provincialibus copiis profundam eius expleri gulam,

---

[1]) i. e. dignitate, honore; cf. Bremium ad Cal. 24.

ut cuivis evidens sit, contemptu magis quam gratia electum."[1]) Sine dubio Suetonius verba „adiutum putant T. Vinii suffragio" certius definire vult. Ellipsis autem commode expleri posse mihi videtur, si quis enuntiationem illam consecutivam respicit, quam auctor verbis a „nisi quod" pendentibus addit: „ut cuivis evidens sit, contemptu magis quam gratia electum." Itaque sententias hunc in modum conecto: adiutum putant T. Vinii suffragio, verum cuivis evidens esse debet, non illius suffragio, sed contemptu magis Galbae quam gratia eum electum esse, quod Galba prae se tulit etc. Similiter hunc locum Burmannus in editione sua[2]) interpretatur.

„Tantum quod" formulae, quam Kühnerus l. l. II, 2, § 192, 2, b, sic explicat: „tantum (= tantillum) temporis exactum est, quod", duas significationes apud scriptores invenimus: aut eandem atque „nisi quod" significationem habet, cuius significationis nullum in vitis Suetonii inest exemplum, aut descriptionem continet temporis modo praeteriti et idem valet atque adverbium „vixdum" „kaum erst" „eben erst". Ad hanc significationem „tantum quod" apud Suetonium quater accedit, omnibus locis adverbialiter sine verbo finito positum. Sic A. 63: „Juliam primum Marcello .... tantum quod pueritiam egresso ... nuptum dedit." Participio etiam altero loco „tantum quod" additum est, Vesp. 5: „evenit, ut medicus dentem ei ostenderet, tantum quod exemptum", ablativo absoluto autem Ner. 6: „Nero natus est ...... XVIII. Cal. Jan. tantum quod exoriente sole, paene ut radiis prius quam terra contingeretur."[3])

In enuntiatione relativa „tantum quod" collocatum est

---

[1]) Comprobare non possum Ruhnkenii sententiam, qui in „scholiis in Suetonii vitas Caesarum" a Jac. Geelio editis „nisi quod" hoc loco particulis „sed tamen" interpretatur. Hunc enim in modum huius dicendi formulae vim explicatiorem reddi posse nego.

[2]) Amstelaedami 1736, 4.

[3]) Hoc loco dubium est, utrum „terra" sit ablativus an nominativus. Sed cum hic de praesagiis agatur, quae Neroni imperium portenderint, neque de vetere more infantem recens natum nuda in terra sistendi, cum Baumgarten-Crusio facio, qui verba „ut radiis contingeretur" sic interpretatus est: „ut Nero prius fere radiis contingeretur, quam terra his radiis contacta est", contra Bremium, qui, cum res pro praesagio accipienda sit, nescio quomodo haerere potuerit hac in interpretatione.

A. 98: „vectores nautaeque de navi Alexandrina, quae tantum quod appulerat, ... eximias laudes congesserant.“

d) Post verba „accedit“ „addo“ similia aut post verba „praetereundi“ his in libris particulam „quod“ non legimus; neque post verbum „facio“ cum adverbio aliquo coniunctum nisi A. 64., quo loco scriptor non ipse loquitur, sed Augusti verba tradit, qui nobilissimo cuidam iuveni scribit: „parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Baias salutatum venisset.“

e) Digna praeterea, quae iterum commemorentur, sunt duo exempla, quae a latini sermonis legibus aliena esse videntur. Saepius enim apud posterioris aetatis scriptores — quamquam ne prioribus quidem hic usus omnino deest — post verba „sentiendi“ aut „declarandi“ particulam „quod“ invenimus. Kühnerus[1]) et Draegerus[2]) inter exempla ex aliis scriptoribus petita ex Suetonii scriptis Cl. 29. et Tit. 8. afferunt. Quae quidem exempla quamquam paulo insolentiora esse videntur, tamen, quia „quod“ particula facillime excusatur, non nimis graviter in Suetonium invehi debemus. Si enim legimus Cl. 29: „nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit“, verba „omnem fidem excesserit“ profecto nihil significant, nisi „vix credibile fuerit;“ sed cum enuntiato ex „quod“ suspenso enuntiati principalis pronomen „illud“ explanari luce clarius sit, auctorem accusativo cum infinitivo usum non esse, prorsus non mirabimur. Idem cadit in alterum locum, Tit. 8., quo pronomen demonstrativum ex usu Suetonii omissum facile subauditur: „recordatus quondam super cenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit.“ Quae cum ita sint, utrumque locum sub I, 1, b collocare non dubitavi.

His annectam, haudquaquam me probare Reussii sententiam, qui l. l. p. 25. haec disserit: „utramque constructionem copula „que“ coniunctam legi apud Tacitum Ann. XIV. 6: „reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam (sc. esse), quodque litus iuxta .... navis ....

---

[1]) l. l. II., 2, § 192, 2, A. 1. f.

[2]) „Historische Syntax der lateinischen Sprache“. Leipzig 1874, 77. § 379.

concidisset;" sed Kühnerum sequor, qui l. c. „quodque" sic interpretatur: „et id quod" „und den Umstand dass".

His exemplis nonnulla simillima sunt, in quibus Suetonius pro accusativo cum infinitivo particulis „tanquam" et „quasi" usus est. Hoc facillime eo excusatur, quod auctor modestia quadam ductus has particulas usurpat, simulatque non certam rem satisque notam, sed dubiam tradit vixque credibilem. Sic substantivis „rumor" „opinio" „suspicio" „fama" interdum „quasi" aut „tanquam" adiungitur pro accusativi cum infinitivo constructione. Exempla inveni haec:

A. 14: „rumore . . . dilato, quasi . . . necasset;" Tib. 11: „sed increbrescente rumore, quasi . . . . . commoraretur".[1])

A. 6: „concepta opinione veteri, quasi . . . . obiciatur;" Tib. 39: „constanti et opinione et sermone paene omnium, quasi neque rediturus . . . . et obiturus (sc. esset)."

Tit. 5: „unde nata suspicio est, quasi . . . . temptasset."

Dom 22: „eratque fama, quasi . . . . . ipse develleret."

Paulo maiore audacia Suetonius his duobus locis utitur: Tib. 21: „scio vulgo persuasum, quasi . . . . . vox Augusti per cubicularios excepta sit," et Tit. 8: „quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset, ... ait."

„Tanquam" particula sequitur A. 6: „tenetque vicinitatem opinio, tanquam et natus ibi sit."

2) Accedamus nunc ad ea enuntiata a „quod" pendentia, quibus causa additur enuntiationi principali.

a) Atque primum quidem coniunctionem „quod" ex iis verbis suspensam commemorabo, quae animi affectum significant, ut „delector" „miror" alia, sicut ex verbis „reprehendendi" „laudandi" similibus. Hic enim praecipue dubium saepius est, utrum „quod" particulae vis explicativa sit tribuenda an causalis, ita ut hic usus tanquam transitum praebeat a „quod" particula explicativa ad „quod" causale[2]). Supersedeo autem exemplis illustrare, quotiens Suetonius post eadem haec

---

[1]) Contra Vesp. 6: „simul rumor dissipatus, destinasse victorem Vitellium etc." Corn. Nepos Dion. X, 1: „celeri rumore dilato, Dioni vim allatam."

[2]) Itaque in hac materiae parte disponenda a Kühnero discedere haud iniquum putavi.

verba accusativum cum infinitivo posuerit, cum Baumgarten-Crusius in clave sub vocibus ipsis huius enuntiationes coniungendi rationis exempla copiose collegerit. Legitur autem „quod“ post haec verba:

„aspernor quod“: Ner. 6.
„conqueror quod“: A. 66; „queror quod“: Tib. 52; Cal. 31.
„delector quod“: Tib. 40.
„doleo quod“: Tib. 52.
„exacerbor quod“: Vit. 14.
„invisus quod“, ut hoc adiciam, A. 10.
„irrideo quod“: Dom. 14.
„irritor quod“: G. 20.
„miror quod“: Ner. 30; Vesp. 5; Dom. 1; Ner. 2.
„offensus quod“: C. 19; „offensior quod“: Ner. 2.
„terreor quod“: Tib. 60.
„tristior quod — quodque“; Tit. 10.

Similia sunt „exoptatissimus quod“: Cal. 13. et „poenitentiam simulans quod“: Cal. 39.

Post verba „accusandi“ „laudandi“ similia:

„ut falsum arguo quod“: C. 81; „ut subditivum arguo quod“: Ner. 7.
„collaudo quod“: A. 93; Tib. 32.
„corripio quod“: A. 53; Tib. 32; Ner. 39.
„exprobro quod“: C. 50; Tib. 56.
„gratias ago quod“: Cl. 15; 37; Vesp. 2.
„gratiam refero quod“: Tib. 20.
„gratulor quod“: Tib. 60.
„noto quod“: A. 39; Cl. 16; „noto levitatis nomine quod“: Tib. 3; „ignominia noto quod“: Tib. 19.
„obicio quod“: A. 51; Tib. 49; 61; 61; Ner. 37.
„obiurgo quod“: Cal. 45.
„reprehendo quod“: A. 45; Cl. 39; Vesp. 23.
„suspicio quod“: Tit. 7.

Bis, ne hoc omittam, Suetonius post verba, quae animi affectum significant, liberius non „quod“ sed „si“ particula utitur: A. 79: „gaudebatque, si qui sibi acrius contuenti .... vultum summitteret“, et Cal. 23: „succensebatque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Caesarum insererent.“

Neque minus hic conferendum esse puto Cl. 38: „Ostiensibus, quia .... non miserint, graviter correptis."

Iuvat pauca hic addere de „quasi" „velut" „ut" „tanquam" particulis. Vitas Suetonianas enim inspicienti has particulas interdum apud Suetonium ad causalem particulae „quod" significationem accedere, plane pro certo erit. Hunc usum apud Tacitum creberrime locum habere, Reussius l. l. p. 25. docet itemque Draegerus l. l. § 536., qui per errorem quidem huius usus exempla apud alios scriptores haudquaquam inveniri contendit.[1]) Nam si quid iudicare possum, non pauca exstant exempla Suetoniana huc spectantia. Scriptor his particulis usus esse videtur, ubi non de sua ipsius sententia nos certiores facit, sed quae aliis causa visa sit indicat. Quod quo facilius perspiciatur, liceat mihi unum alterumve exemplum delibare maxime perspicuum.

Suetonius A. 94. de Catuli somnio agit illumque loquentem inducit per orationem obliquam: „animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eundem puerum, quem cum detrahi iussisset, prohibitum monitu dei, tanquam is ad tutelam reipublicae educaretur". „Tanquam" hoc loco pro „quod" particula propter modestiam quandam positum est. Vit. 14: „suspectus et in morte matris fuit, quasi (weil angeblich) aegrae praeberi cibum prohibuisset". Tib. 8: „quorum (sc. ergastulorum) domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent." Cl. 10: „miserante obvia turba, quasi ad poenam raperetur insons".

Nonnunquam hae particulae adverbialiter sine verbo finito positae causalem quandam continent significationem, ut G. 12: „cohortem ... remisit, quasi proniorem"; Ner. 35: „Antoniam .... quasi molitricem novarum rerum interemit"; Tib. 50: „Liviam gravatus, velut ... vindicantem"; Tib. 2: „societatem .... ut parum salubrem iniri dissuasit".[2])

Quibus locis omnibus quamquam concedendum est in his

[1]) Conferas velim Güntherum l. l. p. 36.: „reprehendo tanquam" pro „quod" ex Quint. IX, 4, 53.

[2]) Etiam particulae, „quasi" in usu non deest exemplum inconcinnitatis illius, de qua supra egi; parataxis enim est inter substantivum et enuntiatum causale per „quasi" inchoatum Vit. 6: „hunc heredem ... interemit, insimulatum insuper parricidii et quasi paratum ad scelus venenum ex conscientia hausisset".

particulis vim comparativam inesse, tamen etiam causalem quandam significationem eas habere, nemo non intelleget.

b) Annectam verbis „reprehendendi" „laudandi" similibus verba puniendi vim continentia vel ipsam aliquam poenam significantia. Suetonius eiusmodi verbis causam particula „quod" addit his locis:

„punio quod": Tib. 61.
„iudicium maiestatis subeo quod": Tib. 2.
„moveo senatu quod": Dom. 8; „removeo quaestura quod": Tib. 35; „summoveo honore, Italia quod": Cl. 9; A. 45.
„relego quod": Cal. 25; Cl. 38; Ner. 35.
„extorres oppido ago quod": A. 12.
„in carcerem conicio quod": C. 17.
„hastae subicio quod": A. 24.
„canibus obicio quod": Dom. 10.
„crura frango quod": A. 67; Tib. 44.
„cruce afficio quod": G. 9.
„contrucido quod": Cal. 48.
„interimo quod": Cl. 11; Vit. 14; Dom. 10.
„occido quod"[1]: Ner. 5; 35; sexies Dom. 10. („capite punio quod": Oth. 1; „capitali poena condemno quod": Dom. 14.)

Exemplum propter dicendi varietatem maxime memorabile legimus Dom. 10: „occidit et Helvidium filium, quasi ..... taxasset; Flavium Sabinum ..., quod .... pronuntiasset".

Ex contrario haec exempla sunt:
„equestri dignitate honoro quod": A. 27.
„praemia constituo quod": C. 17. („largior quod": Tib. 48; „dono quod": Cal. 16.).
„gratiam facio coniurandi pro partibus meis quod": A. 17.
„manumitto quod": Ner. 2.

c) Jam mentionem facio paucorum exemplorum, in quibus „quod" particula enuntiatum secundarium introducens ad praecedentia pronomina correlativa referenda est.

[1]) Conferantur Cl. 1: „et, quia cunctaretur, interceptum", et Ner. 35: „privignum, quia ferebatur ..., mergendum mari ... servis ipsius demandavit".

Aliquoties ablativum „eo“ ante comparativos collocatum sequitur causalis particula „quod“. Sic Cal. 8: „versiculorum quoque fidem eadem haec elevant et eo facilius, quod ii sine auctore sunt“. Item „eo facilius quod“: C. 42. Porro Tib. 29: „eo notabiliora, quod“; C. 81: „eo studiosius quod“.

„Tanto“ praecedit comparativo Tib. 40: „potestatem omnibus adeundi sui fecit: tanto magis, quod urbe egrediens .... edixerat“. Rursus „tanto magis quod“: G. 9. Accedunt C. 78: „tanto intolerabilius quod“; Cl. 11: „tanto impensius quod“; Tit. 10: „aliquanto tristior quod“.

„Ideo quod“ non legitur nisi Cl. 40: „hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea, qui .... “. At haec non scriptoris verba sunt, sed Claudii imperatoris.

Uno loco refertur „quod“ ad correlativum praepositioni „ob“ adiunctum; legimus „ob id ipsum“ Vit. 14: „quosdam et de plebe ob id ipsum, quod Venetae factioni clare maledixerant, interemit“.

Haec, nisi fallor, correlativa sunt, quibus scriptor ante „quod“ causale utitur; plerumque nimirum correlativa omissa sunt, id quod exemplis comprobare supervacaneum esse arbitror.

Unum praeterea locum afferre liceat ob id ipsum memorabilem, quod ad dicendi formulam „est quod“ et alias similes referendus est. Legimus enim ex Augusti quadam epistola ad Liviam missa Cl. 4: „quid est, quod dubitemus?“

d) Restat, ut ellipticum particulae „quod“ usum commemoremus.

Huc, si quid iudicare possum, nullum ex imperatorum vitis exemplum spectat, nisi forte quis Tib. 52: „Germanico usque adeo obtrectavit, ut et .... elevarit .... et increparet. Quod vero Alexandream propter immensam et repentinam famem inconsulto se adisset, questus est in senatu“, huc pertinere contendit. Per errorem autem Baumgarten-Crusius sub voce „quod“ exemplum elliptici usus A. 88. esse voluit. Quo facilius sententiarum nexus perspiciatur, verba ascribo: „orthographiam, id est formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam, non adeo custodit ac videtur eorum potius sequi opinionem, qui perinde scribendum ac loquamur existiment. Nam quod saepe non litteras modo sed syllabas permutat aut praeterit, communis hominum error est. Nec ego

id notarem, nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos .... eum .... dedisse."

Ellipticum illum usum minime hic locum habere statim apparebit, cum enuntiati structuram hunc in modum mutaveris: crebra non litterarum modo sed syllabarum permutatio aut praeteritio communis hominum error est[1]).

Idem cadit, ut hoc addam, in Taciti dial. 25. Aptissime enim Reussius l. l. p. 26. contra Draegerum, l. l. § 378, 11. ellipticum particulae „quod" usum hoc loco Taciteo statuentem, verborum constructionem usitatissimam esse disputat; nam cum verba haec sint: „nam quod invicem obtrectaverunt ...., non est oratorum vitium sed hominum", enuntiatum „quod ... obtrectaverunt" positum est pro subiecto, pro praedicato „vitium est".

II. De modis cum „quod" particula coniunctis.

Universe iudicanti, quamquam modorum, qui coniunctionem „quod" sequuntur, usus Suetonianus ab aliorum scriptorum dicendi consuetudine haud discrepare videtur, tamen nonnulla, cum minus usitate dicta sint, commemoratione non indigna sunt. Atque primum quidem pauca de indicativo disseram, quatenus in huius modi usu aliquid alieni inest.

1) Indicativus.

a) Non desunt exempla, in quibus Suetonius post particulam „quod", quamquam oratio est obliqua, indicativum posuerit. Quem usum etiam apud alios scriptores late patentem et ad omnia fere enuntiata secundaria pertinentem Reussius l. l. p. 13. probe hunc in modum explicat: „scriptor alacritate dicenti pellectus partes eius, cuius vel sententias vel verba narrat, suscipiens ipse dicit, quod ab illo dici e sententiarum nexu exspectamus. Quo fit, ut talia enuntiata tanquam in

[1]) In „quod" particula igitur Baumgarten-Crusius offendere non debuit. Sed quod Suetonius enuntiatum particula „nam" usus introduxit, nemini mirum non videbitur. Auctor autem non est reprehendendus, quoniam sententiae sic cohaerent: Augustus orthographiam .... non adeo custodit ac videtur eorum potius sequi opinionem, qui perinde scribendum ac loquamur existiment. Hoc est in orthographia eius commemorandum; calami lapsus, ut ita dicam, non sunt notandi, nam hi sunt communis hominum error neque ego eos notarem, nisi . . et qu. sequ.

parenthesi addita intellegere liceat." Hoc obviam est Tib. 44: „fertur . . . . captus facie ministri . . . . nequisse abstinere, quin . . . . seductum constupraret, simulque fratrem eius tibicinem; atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobarant, crura fregisse." Auctor suam adiungit sententiam ei, quam de Tiberio editam referre coeperat. Porro Cal. 8: „Gaetulicum refellit Plinius quasi mentitum . . . . abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat".

Sine dubio Güntherus l. l. p. 12. recte iudicat, hunc usum tum praecipue inveniri, cum enuntiata secundaria res veras atque satis notas continent. Quae enuntiationes saepius ita conformatae sunt, ut particula „quod" ad usum atque significationem coniunctionum „nam" „enim" accedat, quo fit, ut enuntiata causalia enuntiationis principalis partes agant. Sic Oth. 6: „tulerat animus . . . . statim castra occupare cenantemque . . . . Galbam aggredi, sed obstitit respectus cohortis, ... ne oneraretur invidia, quod eiusdem statione et Gaius fuerat occisus et desertus Nero." „Quod . . . fuerat" ab auctore disiunctum ab oratione obliqua idem est atque „nam . . . fuerat."

Porro A. 43: „postea nihil sane praeterquam adulescentulum L. Icium honeste natum exhibuit, tantum ut ostenderet; quod erat bipedali minor, librarum septendecim ac vocis immensae", i. e. erat enim bipedali minor et . . . . immensae. Ex Augusti sententia, qui adulescentulum ostendebat, „quod esset" scribendum erat. Sic saepius in enuntiatis causalibus indicativum pro coniunctivo usurpatum videmus, cum ex subiecti sententia causam addi exspectemus. Res autem ita usitata est, ut hunc usum pluribus exemplis comprobare supersedeam. Baumgarten-Crusius, ut hoc addam, in indice sub voce „quod" haec duo exempla commemorat, ubi „ex scriptoris persona res facta narretur": Tib. 32: „cum Rhodiorum magistratus, quod litteras . . . . . dederant, evocasset", et Tit. 10: „Sabinos petit aliquanto tristior, quod . . . . hostia aufugerat, quodque . . . . tonuerat."

b) Iam paucis commemoremus Suetonium post verba „reprehendendi" „laudandi" similia, quae sub I, 2, a, allata sunt, fere semper coniunctivum posuisse; in quo, cum facillime ex orationis obliquae ratione explicari possit, haudquaquam

offendendum est. Ter tantum indicativum usurpat: Ner. 6: „aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulae erat"; Tit. 10: „tristior, quod ... aufugerat"; Vit. 14: „exacerbatus, quod ... libellus propositus est."

Post „nisi quod" formulam semper modus indicativus legitur sine ulla offensione.

2) Coniunctivus.

a) Coniunctivi, qui in enuntiatis a „quod" particula pendentibus apud Suetonium exstant, plerumque ex orationis obliquae legibus intellegendi sunt; nonnulli autem eiusmodi sunt, ut, cuius ex sententia causa aliqua addatur, nonnunquam difficilius appareat. Hoc cadit in Tit. 7: „praeter saevitiam suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem commissationes .... extenderet." Coniunctivus „extenderet" explicandus est ex opinione eorum, quibus principis luxuria suspecta erat. Porro G. 12: „praecesserat de eo fama saevitiae simul atque avaritiae, quod ... punisset ... quodque ... conflasset". Coniunctivum si positum esse intellexerimus ex opinione eorum, qui famae saevitiae atque avaritiae indulgebant, ineptum non existimabimus. De cuiusmodi coniunctivis explicandis haud absonum puto Reussii verba afferre, qui l. l. p. 31. de similibus quibusdam exemplis Taciteis haec disputat: „Iam autem fieri potest, ut coniunctivi non ad singulos homines, qui e verborum et sententiarum nexu cognoscuntur, sed omnino ad homines (man, die öffentliche Meinung) referantur."[1]) Haec explicatio, quae ad „existimationem communem" spectat, optime mihi quadrare videtur in coniunctivos modo allatos.

Nonnulla etiam exempla occurunt, in quibus coniunctivum nisi ex modorum quadam attractione explicari non posse arbitror. Sic Cal. 39: „quidquid instrumenti veteris aulae erat ab urbe repetiit, comprensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis et pistrinensibus iumentis, adeo ut et panis Romae saepe deficeret et litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent". Coniunctivi

---

[1]) Affert Reussius ex Tac. Ann. II, 37: „quo magis mirum fuit, quod preces Marci Hortali .... superbius accepisset." („Um so mehr wunderte man sich, dass ...").

„deficeret“ et „caderent“ Suetonium induxisse videntur, ut in enuntiato causali quoque coniunctivum „possent“ usurparet, nisi forte quis illud „possent“ scriptum esse putat ex eorum opinione, qui in iudicio, cui in tempore adesse non poterant, ceciderunt.

Hac modorum attractione coniunctivum etiam Cal. 8. in enuntiationem a „quod“ particula pendentem irrepsisse existimo: „nec Plinii opinionem inscriptio arae quicquam adiuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit, et qualiscunque partus sine ullo sexus discrimine puerperium vocetur, quod antiqui etiam puellas pueras, sicut et pueros puellos dictitarent“. [1])

Porro hic locus commemoratione dignus est: Cl. 29: „nam illud omnem fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignaverit“. Habemus hic coniunctivum potentialem in enuntiatis et primario et secundario. Auctor enim, cum sibi ipse persuadere non possit, ea, quae narrat, re vera accidisse, modestia quadam, ut in enuntiato principali et secundario coniunctivum usurpet, adducitur.

Aliquid difficultatis inesse videtur in verbis, quae legimus Tib. 56: „Xenonem quendam exquisitius sermocinantem cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset Doridem, relegavit Cinariam, existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod Dorice Rhodii loquantur“. Nam Suetonius, si enuntiatum causale e sententia Tiberii, de quo agitur, addidisset, non „loquantur“ sed „loquerentur“ scribere debuit ex consecutionis, quam dicunt, temporum ratione. Quod tempore „loquantur“ usus est, non tam causam adiungere videtur, quam additamentum quoddam explicativum, atque constructione accusativi cum infinitivo ex voce „existimans“ suspensa pellectus coniunctivum posuisse videtur.

b) Scriptores in enuntiatis a „quod“ pendentibus haud ita raro verborum „sentiendi“ aut „declarandi“ coniunctivum

---

[1]) Modorum attractionem in enuntiato „quod .... dictitarent“ aptissime statui posse arbitror. Quamquam negare non possum, coniunctivum „dictitarent“ propter verbum „vocetur“ („man nennt“) haud incommode ex existimatione communi posse explicari.

ponunt „quamvis non hoc ipsum „putare“ aut „dicere“ alterius sententia esse dicatur, sed ea, quae putantur, quae dicuntur“.[1]) Qui quidem usus a Suetonii scribendi consuetudine longe recedit, qui, cum saepius „sentiendi“ aut „declarandi“ verbis in enuntiatis a „quod“ pendentibus usus sit, ter tantum coniunctivum usurpat. Tamen ne his quidem tribus locis leges grammaticas violavit. Nam in his, quae legimus Vesp. 14: „ut suspicione aliqua vel metu ad perniciem cuiusquam compelleretur, tantum afuit, ut monentibus amicis cavendum esse Mettium Pompusianum, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam, insuper consulem fecerit“, scriptor suo iure ex orationis obliquae ratione coniunctivum „crederetur“ usurpavit; ex amicorum enim animo coniunctivus est explicandus, qui monent: „cavendus est M. P., quod vulgo creditur ....“. Neque offendendum est A. 27. in coniunctivo „diceretur“, qui non minus postulatur orationis obliquae legibus: „in cuius tamen pertinaciae poenitentiam postea T. Vinium Philopoemenem quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate honoravit“. Honoratus enim est T. V. Ph. non quod celavisset, sed quod celasse dicebatur. Nam id, quod fama illa nuntiabat, i. e. illud „celavisse patronum“, Augustum, ut honoraret, quoniam res ipsa non satis constabat, minime commovere potuit.

Cum his locis compono tertium, Tib. 69: „turbatiore caelo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis“. Nisi fallor, coniunctivi explicatio haud difficilis est. Sequor enim Baumgarten-Crusium, qui in corollario § 7. p 833. haec disputat: „notabilis etiam modestia auctoris, qua Atticam urbanitatem imitatus, suum iudicium de aliqua re coniunctivo efferre solet ....., unde salva etiam lectio Tib. 69: „quod ... negetur“ sc. ex opinione aliorum, quam neque confirmare neque refellere audet scriptor“.

Ceteris eiusmodi locis verborum „sentiendi“ aut „declarandi“ indicativus positus est; satis est, unum exemplum proferre. A. 21: „tantum afuit a cupiditate ... augendi, ut quorundam barbarorum principes .... iurare coëgerit ...., a

[1]) Confer, quaeso, Kühnerum l. l. II, 2, § 182,5., et Draegerum l. l. II, § 537.

quibusdam vero .... exigere temptaverit, quod neglegere [1]) marum pignera sentiebat".

c) Modorum mutatio, quam tribus in exemplis repperi, adeo non est improbanda, ut Suetonius propter diligentiam in sententiis apte conectendis exhibitam maxime sit laudandus. Bene enim modum mutavit Tit. 7: „suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ... extenderet ..., suspecta rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum." Neque enim hoc ipsum „constare" eorum, quibus rapacitas suspecta erat, sententia affertur, sed illud „solitum esse", ita ut haec sit enuntiati conformatio: suspecta rapacitas, quod, ut constabat, solitus esset.

Simile quiddam videmus A. 24: „equitem Romanum, quod duobus filiis .... pollices amputasset, ipsum bonaque subiecit hastae; quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit."

Uberius ascribendum est tertium exemplum, Dom. 10: „complures senatores, in iis aliquot consulares, interemit; .... Aelium Lamiam ob suspiciosos quidem, verum et veteres et innoxios iocos, quod ... dixerat, quodque ... responderat ..., Salvium Cocceianum, quod ... celebraverat; Mettium Pompusianum, quod .... ferebatur, et quod ... circumferret, quodque .... indidisset: Sallustium Lucullum ..., quod ... passus esset; Junium Rusticum, quod .... edidisset appellassetque ...". Qui quidem locus duabus de causis memoria dignus est, primum, quod Suetonius unam causam necis Mettii Pompusiani indicativo modo adiungit, alteras coniunctivo — quamquam auctor. ut supra dixi, scite modum hic mutavit — deinde totius enuntiati conformatio non minus memorabilis est, quod partim indicativi partim coniunctivi usurpantur: in prioribus enim membris ex narrantis sententia legimus indicativos, coniunctivos in posterioribus ex agentis subiecti opinione.

---

[1]) Ne quis in infinitivo activi offendat, vel quod Suetonius pronomen „eos" omisit, fere innumerabilibus exemplis comprobare possum, quantopere hunc usum in deliciis habuerit Suetonius. Pauca modo ascribam: C. 30: „alii timuisse (sc. eum) dicunt"; item accusativus pronominis determinativi „is" deest: C. 56; Cl. 11: 12; G. 23; Oth. 10; Vit. 10; Vesp. 15. Ellipsin pronominis reflexivi „se" habemus Cl. 45; Vesp. 6; ex enuntiato praecedenti „se" transferendum vel repetendum est Dom. 10: „qui se, quo facilius (sc. se) expertes culpae ostenderent, impudicos probaverunt."

d) Ceterum non alienum videtur observare, quae sit in enuntiatis a „quod“ pendentibus consecutio temporum. Qua in re Suetonius non semel leges grammaticas, quas novimus, neglexit, cum secundariis enuntiati principalis temporibus coniunctivi praesentia aut perfecta subiungat. De Tib. 56: „existimans exprobratum . . . . ., quod . . . loquantur“, et de Tib. 69: „gestavit, quod . . . . negetur“, modo dixi p. 24 et p. 25. Iam vero de coniunctivi perfectis, quae temporibus secundariis addita sunt, ut C. 78: „idque factum tanto intolerabilius est visum, quod ipse . . . . adeo indignatus sit“, Tib. 5: „Tiberium quidam Fundis natum existimaverunt, secuti levem coniecturam, quod materna . . . . fuerit“, Tib. 53: imputavit etiam, quod non . . . . abiecerit“, infra sub „ut qui“ dictione § 6. verba facere in animo est.

Minime vero Suetonius optimorum scriptorum dicendi consuetudini adversatur Cl. 38., quo loco legimus: „ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Gaio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est“. Illud „aliter“ enim respicienti dubium non erit, quin enuntiatio hypothetica irrealis eaque decurtata hic statuenda sit; nam vox „aliter“ nihil aliud atque „nisi simulavisset stultitiam“ significat. Itaque auctor, usum latini sermonis secutus, pro coniunctivi plusquamperfecto perfectum posuit coniugationis, quam dicunt, periphrasticae.

Promiscue temporibus et primariis et secundariis Suetonius utitur G. 3: „qui primus Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod . . . succenderit; alii, quod . . . . uteretur; nonnulli, quod praepinguis fuerit visus, ... vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quae . . . . nascuntur appellanturque galbae“.[1])

Denique hoc exemplum dignum videtur, quod proponatur: Cal. 8: „nec Plinii opinionem inscriptio arae quicquam adiuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit, et qualiscunque partus sine ullo sexus discrimine. puerperium

[1]) Qui locus hac quoque de causa memorabilis est, quod scriptor in quarto enuntiationis membro formam verbi „esse“ praetermittit, vel potius praecedens illud „fuerit visus“, id quod praeter hunc locum in enuntiationibus a „quod“ pendentibus apud Suetonium non inveni.

vocetur, quod antiqui etiam puellas pueras, sicut et pueros puellos dictitarent". In imperfecto „dictitarent" quamquam inest, cur offendamus, tamen nescio an facillime excusetur: Suetonius non rem semel factam narrat, sed antiquitatis usum atque morem: quod antiqui . . . . dictitabant.

---

§ 2.

Quia.

Ne diutius in hac particula tractanda verser, eos tantum locos affero, qui ad usum Suetonianum diiudicandum maxime esse idonei videntur. Itaque, cum Suetonius in universum in hac particula proferenda vulgarem sermonem sequatur, omitto ea exempla, quibus nil nisi veram certamque causam particula „quia" addi demonstratur: de iis potius agam, quae, sive ipsius particulae vim contemplaris sive modorum rationem respicis, commemoratione non indigna videantur.

I. De ipsa „quia" coniunctione.

1) Atque primum quidem particulae „quod" et „quia" in universum eandem vim habent, ita ut a scriptoribus saepius in eodem enuntiato eadem vice fungentes promiscue usurpentur. Draegerus[1]) praeter alia huius usus exempla ex Livii V, 41, 4. affert: „Galli, et quia interposita nocte a contentione pugnae remiserant animos, et quod nec in acie ancipiti usquam certaverant proelio nec . . . . capiebant urbem, ... sine ira, sine ardore animorum ingressi . . . . perveniunt." Quam particularum commutationem apud Suetonium quamquam in eodem enuntiato non inveni, tamen simile quiddam afferre possum. Suetonius enim, cum scripserit Cal. 9: „Caligulae cognomen castrensi ioco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur," eidem dicendi formulae causam particula „quod"

---

[1]) l. l. II, § 531.

addere non dubitat G. 3: „qui primus Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod . . . succenderit, alii, quod . . . .“

Minus usitate [1]) Suetonius semel particulam „quia“ post verbum „reprehendendi“ usurpavit, Cl. 38: „Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obviam non miserint, graviter correptis . . . .“

Neque vero haec scribendi ratio prorsus aliena est a consuetudine optimorum scriptorum; Draegerus enim l. l. II, § 531. ex Ciceronis epistolis nonnulla exempla affert, quibus hic usus comprobatur. Sic ad Attic. II, 16, 3: „reprehendere quia“; et ad fam. V, 14, 1: „mirari quia“.

2) Iam facere non possum, quin pauca dicam de Cl. 1: „quod equidem magis ne praetermitterem rettuli, quam quia verum aut verisimile putem, cum Augustus . . . . . dilexerit“. Enuntiatio causalis particula „quia“ introducta hic non veram iustamque causam referendi continet, sed ideo ab auctore addita est, ne quis perversam coniecturam inde capiat, quod auctor hanc rem rettulerit. Ille autem „magis quam“ formula coactus enuntiati membra transponit atque contra usum talibus in enuntiationibus creberrimum veram causam praemittit eamque negative expressam. [2]) Hoc unum, nisi fallor, apud Suetonium invenitur exemplum eius scribendi rationis. quod scriptores in eodem enuntiato causam et negativam et positivam, ne quis sibi falsam supponat, coniungunt, id quod vix admirationem moveat in scriptore, qui — ut Baumgarten-Crusii utar verbis — „brevitatem magis cum diligentia coniunctam quam uberiorem ornatum curat“. [3])

3) „Quia“ particula nonnunquam aliarum coniunctionum locum obtinet.

a) Itaque aliquoties ita usurpatur, ut temporis quaedam

---

[1]) Duo eiusmodi exempla etiam Reussius profert l. l. p. 8.: Ann. II, 50: „maiestatis arcessere quia“ et ibidem IV, 64: „grates agere, quia“.

[2]) Quod enuntiatione finali iustam causam Suetonius addit, non absonum videtur esse, exemplum commemorare, quo Draegerus l. l. II, § 538. de hoc usu disserens utitur, cum praesertim eiusdem sit generis: Caes. b. G. IV, 2: „mercatoribus est aditus magis eo, ut . . . . habeant, quam quo . . . . desiderent.“

[3]) In corollario § 6. p. 832.

significatio accedat, quam rationem particularum „quoniam“ et „quando“ in usu satis manifestam esse, quis est, qui negaverit? Quod autem causalis particula ad temporalem significationem accedit, mirari non debemus, siquidem ea, quae certo aliquo tempore aut fiunt aut non fiunt, saepissime efficiunt, ut rem aliquam vel agamus vel omittamus.[1])

Atque significationem temporalem latere puto A. 10: „Brutum Cassiumque et vi necopinantes et, quia provisum periculum subterfugerant, legibus aggredi reosque caedis absentes deferre statuit“ i. e. Brutum Cassiumque primo quidem nihil providos vi aggredi statuit, postea, quia seu potius postquam vim sibi imminentem subterfugerunt, rem ad leges reiciendam arbitratus est. Item Ner. 47: „prosiluit e lecto misitque circum amicos, et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit“. Causalem particulam „quia“ etiam hic ad coniunctionis „postquam“ significationem prope accedere, in promptu est.

Addere iuvat tertium exemplum ob id ipsum maxime idoneum, quod Suetonius ipse temporalem particulae vim indicare videtur, cum „quia“ usurpaverit post adverbium temporale „dein“ praemissa voce „primus“. A. 58: „patris patriae cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei: prima plebs, legatione Antium missa; dein, quia non recipiebat, ineunti Romae spectacula frequens et laureata; mox in curia senatus.“

Similiter significationem et causalem et temporalem „quia“ habet A. 81. et Dom. 2.

b) Draegerum[2]) porro, si audire volumus, propria „quoniam“ particulae vis ea est, ut causam afferat, quam legentibus notam esse putamus. Etiam „quia“ particulam hunc in modum apud Suetonium semel atque iterum inveniri, haec quidem exempla demonstrabunt.

A. 57: „pro quibus meritis quantopere dilectus sit, facile est aestimare. Omitto senatusconsulta, quia possunt videri vel necessitate expressa vel verecundia“. Auctor enuntiatione causali non solum suam de huiusmodi consultis sententiam

---

[1]) Conferri potest Wolfii de particulae „quando“ vi atque ratione annotatio, quam § 4 p. 36. ascribam.

[2]) l. l. II, § 532.

profert, sed etiam, quae tali temporum condicione proposita communis sit existimatio consultorum illis temporibus perscriptorum, ostendit. Causa omittendi omnibus est notissima.

Porro Tib. 61: „immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae“. Deducit auctor causam a maiorum more atque consuetudine, cuius eruditi quidem lectores haud ignari esse poterant.

Haec particulae significatio multo magis elucet Ner. 12., ubi Suetonius post „quia“ particulam tempus praesens usurpat, quamquam in enuntiato principali perfectum historicum legitur: „ad athletarum spectaculum invitavit et virgines Vestales, quia Olympiae quoque Cereris sacerdotibus spectare conceditur“. Similem in modum enuntiatio particula „quia“ introducta causam continet legentibus notam C. 14: „quin et tantum metum iniecit asperiora suadentibus . . . ., ut Decimum Silanum . . . . non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire.“

II. De modis ad „quia“ particulam adiunctis.

Paucis pertractare possum usum modorum „quia“ particulae subiunctorum, cum Suetonius in modis post „quia“ ponendis vulgarem dicendi usum fere nunquam repudiaverit. Hoc unum autem monere liceat, indicativum multo saepius inveniri; quamquam enim tricies bis particulam „quia“ legimus, tamen octies tantum coniunctivum modum invenimus appositum.

1) Indicativus.

a) In modo indicativo nihil est, quod offendat, nisi quod ea, quae de „quod“ particula § 1, II, 1, dicuntur, alacritate quadam dicendi adduci auctorem, ut contra leges grammaticas in oratione obliqua indicativo utatur, etiam ad „quia“ particulam pertinent. Sic C. 46: „multi prodiderunt: villam in Nemorensi a fundamentis inchoatam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse“. Porro A. 13: „alios, patrem et filium, pro vita rogantes sortiri ac micare iussisse . .

ac spectasse utrumque morientem, cum patre, quia[1]) se obtulerat, occiso filius quoque voluntariam occubuisset necem". Similiter aliquoties, ubi sententiam vel consilium dicentis agentisve subiecti exspectamus, ex auctoris persona aliqua res modo indicativo narratur. Exempli causa ascribo G. 5: „sestertium namque quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset, quia notata non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne haec quidem accpit".

Item Ner. 35 (187,20); et Cal. 60; et C. 14.

b) Iam afferenda sunt duo exempla, in quibus praedicatum, quod vocant, enuntiati causalis a „quia" pendentis verbum „sentiendi" aut „declarandi" est. Altero in exemplo, Ner. 35. indicativum legimus: „privignum . . ., quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit". Hic in dubio relinquitur, utrum illud „ferri" an „ludere" causa fuerit, quae Neronem, ut privignum necari iuberet, commovit. Quod si quis putaverit, Neronem ob famam ipsam privignum interficiendum curasse, — quae res nemini mirum videatur tali praesertim in principe — e Neronis mente coniunctivum „ferretur" exspectaverit. Verisimile autem est, Neronem non fama illa, quam et explorare et patefacere poterat, sed re ipsa ad privigni necem perductum esse, ita ut optimo iure indicativus adhibeatur.

Alterum exemplum huic contrarium esse videtur. Ner. 53: „destinaverat etiam, quia Apollinem cantu, Solem aurigando aequiperare existimaretur, imitari et Herculis facta". Auctor coniunctivum bene posuit; nam si quis verba, quae initio capitis loco modo allato praecedunt, respexerit: „maxime autem popularitate efferebatur (liess sich hinreissen), omnium aemulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent", non dubitabit, quin Neronem „qui maxime tenebatur cupiditate placendi

---

[1]) Nihil mutandum est contra optimorum codicum fidem, cum omnia optime se habeant. Baumgarten-Crusius enim, qui lectionem „qui se obtulerat" in textum recepit, quamquam annotat: „non ideo occisus est, quia se obtulerat, morti et antea destinatus; alia res esset, si auctor dedisset: patre, quia se obtulerat, prius occiso" nihil dicit, quod codicum auctoritatem imminuat. Nam, nisi omnia me fallunt, voce „prius" addita efficitur, ut etiam filium imperatoris iussu occisum esse arbitremur. Quod alienum esse ab hoc loco, inde apparet, quod Suetonius de voluntaria filii agit nece, cuius auctor non Augustus sed necatus ipse fuit.

populo" — ita enim Ernestius illud „popularitate efferri" optime explicat — non illud „aequiperare", sed haec ipsa iam populi existimatio, ut etiam Herculis facta imitaretur, incitaverit. Itaque ex subiecti sententia Suetonius bene coniunctivum usurpavit.

2) Coniunctivus.

Coniunctivus post „quia" positus offensioni nobis non est: A. 27; 42; 69; Cl. 1; 38; facillime enim ex orationis obliquae ratione explicatur. Sic Cl. 1: „unde existimo nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto revocatumque .... et, quia cunctaretur, interceptum veneno." De Ner. 53: „quia existimaretur" modo dixi. Dignus autem, qui commemoretur, coniunctivus „esset" est Tib. 61: „immaturae puellae, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatae prius a carnifice, dein strangulatae." Explicatio huius coniunctivi petenda est ex vocibus „more tradito" vel potius ex eius sententia, qui virgines, priusquam strangularentur, vitiari iussit.

Restat, ut pauca annotem de Cl. 1: „quod equidem magis, ne praetermitterem, rettuli, quam quia verum aut verisimile putem". Suetonius, cum enuntiatio ex „quam quia" suspensa non veram referendi causam afferat, ratione latinitatis postulante coniunctivum „putem" posuit. Quaerendum autem est, cur auctor a consecutionis temporum ratione abhorrens imperfectum „putarem" repudiaverit.[1]) Tempus praesens, nisi fallor, usurpavit, quo magis eluceret, sententiam enuntiatione causali expressam non solum, quo tempore rem narratam referret, sibi insitam fuisse, sed etiam perpetuo in hoc iudicio se et permanere et perstare. Licentia vero, quae deprehenditur Cl. 38: „Ostiensibus, quia ..... non miserint, graviter correptis .... veniam dedit", saepissime apud Suetonium invenitur, qui hoc verbi tempus vehementer amplexus esse videtur.[2])

---

[1]) Cic. Tusc. I, 1, 1: „hoc mihi Latinis litteris illustrandum putavi, non quia .... non posset, sed meum semper iudicium fuit".

[2]) Conferas velim § 6. p. 42.

§ 3.

Quoniam.

„Quoniam“ particulam undecies[1]) in Suetonii vitis legimus: indicativum particulae adiunctum videmus: C. 74; 74; A. 61; 94; Tib. 23; Cal. 12; G. 20; coniunctivum: C. 19; 28; 79; A. 27.

1) Atque primum quidem „quoniam“ saepissime causam addit legentibus satis notam. Sic G. 20: „iugulatus est . . . ac relictus . . ., donec gregarius miles . . . caput ei amputavit; et quoniam capillo (sc. prae calvitie) arripere non poterat, in gremium addidit“. Alia autem huius usus exempla haec sunt: C. 19; 28; 79; A. 27.

Deinde duo exempla commemoranda sunt, quorum in altero ad novam narrationis partem transgressio fit, in altero degreditur Suetonius a proposito argumento: A. 61: „quoniam, qualis in imperiis ac magistratibus regendaque . . . . . republica fuerit, exposui, referam nunc interiorem ac familiarem eius vitam;“ A. 94: „et quoniam ad haec ventum est, non a re fuerit subtexere, quae ei . . . . evenerint.“

Iam supra [2]) commemoratum est, in particula „quoniam“ non solum causalem sed etiam temporalem vim inesse. Quae ratio, si exempla duo modo allata omittimus, maxime perspicua est Cal. 12: „spirantique adhuc detrahi anulum et, quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum iussit inici“, et Tib. 23., quo loco Suetonius initium testamenti Tiberii memoriae prodit: „quoniam atrox fortuna . . . . mihi eripuit, ... heres esto“.

Ab his exemplis paululum differunt duo loci. C. 74: „in ulciscendo natura lenissimus, piratas, a quibus captus est,

---

[1]) Dom. 1: „honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus, (nam iuris dictionem ad collegam proximum transtulit) ceterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut . . .“. Pro „quam“, quod ferri non potest, correctio Jac. Gronovii, qui „nam“ legendum esse monuit, adeo simplex atque dilucida videtur, ut non opus sit coniectura Oudendorpiana: „quam“ esse ortum ex compendio scripturae vocis „quoniam“.

[2]) § 2, I, 3. p. 30.

cum in dicionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante iuraverat, iugulari prius iussit, deinde suffigi", et ibidem: „testis citatus, negavit se quicquam comperisse, ... interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem, Quoniam, inquit, meos tam suspicione quam crimine iudico carere opertere." Draegerus l. l. II, § 532. suo iure contendit aliquoties apud scriptores „quoniam" collocari, ubi „quod" aut „quia" requiratur. Inter locos autem, quos, ut sententiam suam comprobet, affert, duos, de quibus modo dixi, posuit. Atque de priore loco Draegero prorsus assentiendum est. Suetonio enim, qui de suffigendi supplicio nondum mentionem fecit, si particula „quoniam" tanquam ex Caesaris sententia usus esset, scribendum fuit: quoniam .... ante iuravisset; sin autem, sicut fecit, ipse narrationis partes suscepit, enuntiatum causale hunc in modum introducere debuit: quod ante iuraverat. Altero vero de loco Draegero assentiri non possum. Nam Caesar — siquidem Suetonius verba ipsius Caesaris affert — de quaestione illa iratus interrogantem, cum particula „quoniam" utatur, tanquam coercere atque obruere videtur, quam vim in „quod' vel „quia" particulis non inesse luce clarius est.

2) De modorum post „quoniam" usu nihil monendum est, cum Suetonius vulgarem usum sequatur. Septies indicativum bene adiunxit, nisi quod C. 74. et Cal. 12. rem ex sua persona narrat,[1]) coniunctivum quater ex orationis obliquae ratione.

---

§ 4.

Quando.

„Quando" particula, a Suetonio saepius usurpata, causaliter posita non est nisi his locis: sexies cum indicativo:

[1]) Haec exempla ad verbum expressa modo protuli.

C. 49; A. 91; G. 4; Vesp. 16;[1]) 25; Tit. 1; novies cum coniunctivo: C. 7; 28; Tib. 2; 23; 25; Cal. 16; 47; Cl. 43:[1]) Oth. 9. Nusquam, id quod apud alios scriptores saepissime fieri solet, huic particulae „quidem" appositum est.

1) Atque de vi ac ratione huius particulae Reussius l. l. p. 38. bene Kritzii ad Sallustii Jug. 102,9. annotationem profert: „Non satis accurate Ruhnkenius ad Ter. Andr. IV, 5, 23. „quando" plane idem esse dicit, atque „quoniam"; rectius F. A. Wolfius, cum ad Suet. Caes. c. 28. vim particulae cum Graeco ἐπειδή comparasset, ad Taciti Ann. I, 57. „quando" — inquit — non multum differt a causali „quod" seu „quia" latente quadam significatione temporis. Ita autem continetur utraque vis, ut a temporis notione ad causae transeatur, siquidem, quod certo aliquo tempore fit, pro causa habetur alius rei instituendae".

Quae explicatio, quamquam prorsus probanda est, tamen non in omnia exempla Suetoniana apte quadrat; in plerisque enim particulae vis ea est, ut temporis significatio minime appareat. Exempli causa affero Cal. 16: „Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassi Severi scripta, senatus consultis abolita, requiri et esse in manibus lectitarique permisit, quando maxime sua interesset, ut facta quaeque posteris tradantur". Idem cadit in A. 91; Tib. 2; G. 4; Vesp. 16; 25; Tit. 1. Optime autem Wolfii explicatio convenit in Cl. 43. et in Oth. 9. et in Tib. 23., quem locum latiore ambitu ascribo: „testamenti initium fuit: „Quoniam atrox fortuna Gaium et Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Caesar mihi ex parte dimidia et sextante heres esto". Quo et ipso aucta suspicio est opinantium, successorem ascitum eum necessitate magis quam iudicio, quando ita praefari non abstinuerit".

„Quando" saepius ad particulae „quoniam" significationem accedere videmus, id quod Bremius imprimis monet C. 7; 28; 49; Ruhnkenius Cl. 43. Sed haec quaestio nonnunquam subtilior est, quam ut certo diiudicari possit. Minime autem

[1]) Vesp. 16: „quod et veri similius videtur, quando et male partis optime usus est" et Cl. 43: „cumque impubi teneroque adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit", a Baumgarten-Crusio in glossario omittuntur, quamquam minime dubitandum est, quin particulae vis his locis causalis sit.

dubitandum puto, quin Tib. 25. particula „quando“ idem valeat atque „quoniam“, cum in enuntiato causali existimatio quaedam communis insit. Legimus enim: „quem maxime casum timens, partes sibi, quas senatui liberet, tuendas in republica depoposcit, quando universae sufficere solus nemo posset, nisi cum altero vel etiam cum pluribus.“

Memorabilis porro „quando“ particulae usus exstat Tit. 1: „Titus, cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii vel artis vel fortunae superfuit, et, quod difficillimum est, in imperio, quando privatus atque etiam sub patre principe ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit) natus est...“ „Quando“ enim hic non causam affert enuntiati principalis, cur Tito tantum vel ingenii vel artis vel fortunae superfuerit, sed tanquam additamentum explicativum continet, cur scriptor adiunxerit „et, quod difficillimum est, in imperio“; hic enim, nisi fallor, sententiarum nexus est: tantum illi . . . superfuit, et, quod difficillimum est, in imperio, id quod eo magis commemorandum vel mirandum est, quando privatus ... non caruit.

Iam accedendum ad C. 28., quem locum corruptum esse omnes fatentur, sed de emendatione dissentiunt. Itaque hoc de loco uberius disputare liceat.

Suetonius igitur tradit, Caesarem summo studio id egisse, ut vel captivis offerendis vel auxiliis submittendis vel urbibus exornandis reges atque provincias per terrarum orbem sibi conciliaret: „donec attonitis iam omnibus, et quorsum illa tenderent reputantibus, Marcus Claudius Marcellus consul edicto praefatus, de summa se republica acturum, retulit ad senatum, ut ei succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset ac dimitti deberet victor exercitus; et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito Pompeius postea obrogasset. Acciderat autem, ut is legem de iure magistratuum ferens eo capite, quo petitione honorum absentes submovebat, ne Caesarem quidem exciperet, per oblivionem; ac mox, lege iam in aes incisa et in aerarium condita, corrigeret errorem.“ Atque primum quidem, quamvis optimi codices in voce „abrogasset“ conspirent, certa tamen, quia vulgata neque intellegi neque defendi potest, existimanda est Burmanni emendatio, ex editione R. Stephani pro „abrogasset“ legentis „obrogasset“. Praeclare enim Ruhnkenius l. l. ad

hunc locum monet: „abrogatur lex, cum prior alia posteriore prorsus tollitur; obrogatur legi, cum aliquid ex priore lege mutatur.“[1]) Neque tamen hac emendatione comprobata omnes difficultates tolluntur.

Altera enim fit controversia eademque non minoris momenti, utrum „quando nec“ sit retinendum an cum J. F. Gronovio emendandum „quando et“. Haec autem quaestio diiudicari non potest, nisi constat, quomodo vocabulum „plebiscito“ accipiendum sit. Quaeritur autem, utrum vox „plebiscito“ ad illud plebiscitum spectet, cuius Suetonius in cap. 26. mentionem fecit: effecisse Caesarem, „ut absenti sibi petitio secundi consulatus daretur,“ an de quolibet plebiscito agatur. Equidem, cum lectionem „quando nec“ tuear, verto „ein Plebiscit“ atque vocabulum „plebiscito“ casum ablativum intellego, ita ut verbi „obrogasset“ obiectum „legi suae de iure magistratuum“ suppleam. Talem igitur sententiarum nexum esse contendo: Caesaris absentis rationem ne habeamus, nam quamquam illi absenti petitio secundi consulatus concessa erat, tamen Pompei oblivione hoc privilegium est abolitum. Quod Pompeius lege iam in aes incisa et in aerarium condita errorem correxit, nullius momenti est, quia legi, quae integra Caesarem propter absentiam a consulatu petendo excluserat, nisi plebiscito obrogari non potuerat. Qua in sententiarum explicatione nescio quomodo haerere potuerint plerique editores, cum prorsus probanda sint, quae Casaubonus ad hunc locum annotat, quamquam de verbo „derogandi“ disputat: „ut ei legi a Pompeio semel perlatae derogaretur, tam opus fuerat populi auctoritatem intervenire, quam ante, cum in gratiam

---

[1]) Vulgatam neque J. Casaubonus bene defendit, neque Waltherus in „observationibus ad Suetonii Tranquilli vitas Caesarum“. Nam qui Casaubonum sequuntur, „abrogasset“ hic pro „derogasset“ positum esse arbitrantur, quamquam propria verbi „derogandi“ vis: „partem legis infringere“ prorsus aliena est a significatione verbi „abrogandi“. Waltherum vero hanc explicationem afferentem: „quando legem illam de comitiis sive id ipsum, ut absentis nulla ratio comitiis haberetur, Pompeius postea non plebiscito sed mero arbitrio abrogasset, excepto Caesare“ Baumgarten-Crusius optime refellit: „in ea interpretatione et duram esse omissionem accusativi „id“ vel „legem“, et verbum „abrogare“ alieno sensu usurpari de exceptione aliqua legi intrusa, cum proprie valeret: totam legem rogato de ea re populo abolere.“

Caesaris fuerat factum prius plebiscitum sive rogatio, qua permittebatur ei absenti petitio consulatus."

2) In modis cum „quando" particula coniunctis nihil est. quod recedat a communi usu. Sexies indicativus particulam sequitur, decies coniunctivus.

Ex usu Suetoniano de consecutione temporum legibus grammaticorum adversatur Tib. 23., de quo loco sub 1, p. 36. disputavi.

---

§. 5.

Siquidem.

In Caesarum vitis „siquidem" septies decies[1]) legitur: C. 9; 88; A. 2; 33; 99; Tib. 2; Cal. 49; Cl. 43; Ner. 5; 26; 56; G. 13; Vit. 9; 18; Vesp. 20; Tit. 6; Dom 6. semper modo indicativo adiuncto.

Iam apud Ciceronem hanc particulam coniunctionis causalis locum obtinere quamquam viri docti exemplis docuerunt, tamen omnibus locis hanc dicendi formulam perinde atque „quoniam" causam omnibus notam significare concedendum non est. Nam si quis ex hac particula enuntiatum suspendit, dubitatio quaedam de eo, quod scribit, saepius illi non deesse videtur, quam rem duobus, ne longus sim, exemplis Suetonianis comparatis facile comprobaverim.

Dom. 6. leguntur haec: „de qua victoria praesagiis prius quam nuntiis comperit, siquidem ipso, quo dimicatum erat die, statuam eius Romae insignis aquila circumplexa pinnis clangores laetissimos edidit; pauloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput quoque adportatum eius vidisse

[1]) Nam quod legimus Tib. 28: „exstat et sermo eius in senatu percivilis: Siquidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut . . . . reddam; si perseveraverit, in vicem eum odero", particula „siquidem" hic omnino non causalis est, sed ad illud hypotheticum „si perseveraverit" spectat: itaque praestare puto particulam in duas partes solvi, id quod etiam Baumgarten-Crusius in indice suadet.

se plerique contenderent," Cal. 49: „intraque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus et aliquanto maiora moliens. Siquidem proposuerat Antium, deinde Alexandream commigrare interempto prius utriusque ordinis electissimo quoque." In priore exemplo Suetonius iis, quae addita „siquidem" particula adiecit, illud praesagium tanquam ex vano haustum in dubium vocare videtur, in altero contra causalem particulam esse dilucidissime intellegi potest ex verbis sequentibus, quibus Suetonius, quae modo narravit, probabilia reddere vult: „quod ne cui dubium videatur, in secretis eius reperti sunt duo libelli diverso titulo, alteri gladius, alteri pugio index erat; ambo nomina et notas continebant morti destinatorum."

Porro non incommodum erit breviter annotare, enuntiata a „siquidem" particula pendentia interdum non toti enuntiationi praecedenti causam adiungere sed uni tantum voci, id quod omnino in coniunctionum usu saepissime invenitur. Hoc, ut alia exempla omittam, cadit in A. 2: „is (sc. C. Rufus) quaestorius Gnaeum et Gaium procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit condicione diversa. Siquidem Gnaeus et deinceps ab eo reliqui omnes functi sunt honoribus summis."

---

§ 6.

Quatenus, quippe, ut qui.

„Quatenus" particulam a causalis coniunctionis „quoniam" significatione non discedentem semel reperias; sequitur autem, cum oratio obliqua sit, verbi finiti coniunctivus. Cl. 26: „quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in coelibatu".

„Quippe" haud raro cum coniunctionibus „cum" „ubi" „si" „etsi" coniunctum usurpatur, aut ante pronomen relativum, cui causalem tribuat vim,[1]) ponitur. Apud Suetonium bis legitur ante participia sine verbo finito: Tib. 69: „circa

[1]) Kühnerus l. l. II, 2, § 194, 3, A. 2: „ad augendam causam ante relativa non raro adverbia „ut" „als ein solcher, welcher", „quippe" „utpote" collocantur. Inest in his compositionibus vis nostri „da ja". Apud Suetonium praeter „ut" adverbium pronomini relativo antepositum inveni nullum.

deos ac religiones neglegentior, quippe addictus mathematicae. plenusque persuasionis, cuncta fato agi." Additur causa, cur deos atque religiones neglexerit Tiberius.

Otho. 9: „ac statim moriendi impetum cepit, ... magis pudore, ne . . . . perseveraret, quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum; quippe residuis integrisque etiam nunc, quas secum ad secundos casus detinuerat, et supervenientibus aliis e Dalmatia, Pannoniaque et Moesia, ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiae quidvis discriminis ultro et vel solae subirent." Verba „quippe . . . . subirent" ad praecedentia „desperatione ulla aut diffidentia" ita spectant, ut „quippe residuis integrisque . . . et supervenientibus aliis" referenda sint ad vocem „desperatione", verba „ne victis quidem adeo afflictis (sc. et quippe ne . . . quidem)" ad vocem „diffidentia". Itaque duo membra enuntiati ex „quippe" suspensi ἀσυνδετικῶς posita sunt.

Restat, ut de relativo pronomine cum „ut" coniuncto dicam. Invenitur undecies. Sic C. 54: „societates et regna pretio dedit, ut qui uni Ptolemaeo prope sex milia talentorum suo Pompeique nomine abstulerit."

Porro „ut qui" (nom. sing.): A. 30: 66; Cal. 50; Ner. 33; G. 2: Vesp. 4; Tit. 3.
„ut quam": Tib. 7.
„ut quas": Cal. 24.
„ut in quibus": A. 72.

Huic dicendi formulae Suetonius semper modum coniunctivum subiungit; temporibus autem ita utitur, ut a vulgari dicendi more saepius recedat. Nam exceptis tribus locis (A. 72: „habitavit, ut in quibus . . . essent"; Tib. 7: „improbaret, ut quam sensisset"; Tit. 3: „erat, ut qui cantaret et psalleret";) perfecta coniunctivi leguntur temporibus secundariis in enuntiatione principali praecedentibus.[1]) Haec con-

[1]) Quantopere Suetonius in enuntiatis consecutivis hunc perfecti usum in deliciis habuerit, inde apparet, quod in vita Caesaris quadraginta tria sunt enuntiata ex „ut" consecutivo suspensa, quorum in numero Suetonius octies decies tempora primaria posuit, quamquam in enuntiato principali legimus secundaria. Saepe etiam Suetonius ad eam licentiam progreditur, ut in eodem enuntiato tempore et perfecto et imperfecto promiscue utatur, quo de usu conferas velim exempla a Thimm l. l. p. 83. § 5. et a Bagge l. l. p 94. allata.

secutionis temporum ratio omnino Suetonio valde placuisse videtur, qua de re Thimm l. l. p. 82, § 4. et Bagge l. l. p. 94. uberrime et accuratissime disputant. Post „quod" particulam autem Suetonius perfectum coniunctivi usurpat C. 78; Tib. 5; 53; post „quia" Cl. 38; post „quando" Tib. 23. Promiscue temporibus primariis et secundariis utitur post „quod" G. 3.[1])

Causam autem ac rationem huius dicendi generis recte exposuit Baumgarten-Crusius, qui, hanc quoque enuntiata coniungendi proprietatem Suetonii ad rhetorum et grammaticorum scholas revocandam esse ratus, in corollario § 6. acutissime disserit: „eiusdem autem est generis, quod omnis oratio Suetonii perfecto tempore procedit, unde statim cognoscas, non vivam narrationem eum exhibere, sed ex monumentis simpliciter, quae facta sint, referre, ita ut brevitatem magis cum diligentia coniunctam, quam uberiorem ornatum curet . . . Gravius autem est, neque mediocris ad crisin momenti, quod inde secutum est, ut subiuncta etiam commata perfecto coniunctivi annecteret. Quod enim Celeb. Wolfius ad C. 6. monet, rationem eius rei ex vulgaribus praeceptis de consecutione temporum reddi non posse, sed sensum quendam grammaticum nihil mutandum esse docere, id ostendit, acutissimum virum statim perspexisse, Suetonium aliter scribere non potuisse, quamvis altius in rem inquirere supersederit. Ex iis, quae disputavimus, causam etiam elucere putamus. Nam qui narrando vivam rerum gestarum imaginem proponit, inque media re simul cum lectoribus versatur, imperfectum adhibeat necesse est ex ipsa historiae natura. Contra, qui veluti magistri personam gerit docens, rem omnino accidisse, ubi eventum rei addit, non potest, quin eadem simplicitate et quasi tranquillitate formis utatur, quae tempus modo, non momenta temporis significent."

Quae verba causam maxime probabilem afferunt, nisi quod doctissimus ille vir cum „Suetonium aliter scribere non potuisse" contendat, longissime a vero abest. Bene enim Thimm l. l. p. 3. monet, Suetonium non solum fere totidem imperfecta

[1]) Iam supra haec exempla ascripsi p. 27, 33, 39. De Cl. 38. (166,24) autem: „quod aliter evasurus perventurusque non fuerit" a Thimmi partibus discedo. Suetonium enim ex latinitatis legibus perfectum coniunctivi coniugationis, quam dicunt, periphrasticae posuisse, § 1, II, 2, d, p. 27. satis demonstrasse mihi videor.

coniunctivi usurpare, quot perfecta, sed etiam tempore perfecto et imperfecto non raro promiscue uti. Hunc usum promiscuum Baumgarten-Crusius non probavit, ita ut saepius concinnitatis causa tempora inter se accommodaret. Etiam Rothius nonnunquam peccavit, qui tamen in praef. p. XXXVI. compositis exemplis huc spectantibus addit: „quae exempla eo libentius congessi, quod nonnulla temere in hac quoque editione ad regulam artis correcta sunt.“

Itaque omissis aliis locis, qui ad nostram disputatiunculam non pertinent, etiam Rothio in praefatione quidem probante scribendum est Vesp. 4: „rediit nihilo opulentior, ut qui omnia praedia fratri obligaret necessarioque . . . . descenderit.“ In textum ipsum Rothius Egnatium secutus „obligarit“ recepit.



Vita.

Natus sum Aemilius Hugo Otto Trachmann Krotoschini, in oppido Posnaniensi, die 25. m. Febr. anni h. s. LIX. patre Otto, matre Maria, e gente Nebesky, quos ex complexu mihi ereptos iam diu vehementer lugeo. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum rudimentis imbutus sum in schola universali et patriae et Plescheni, quam in urbem parentes in annum commigraverant. Decimum annum agens in gymnasium Krotoschiniense receptus sum, quod tunc a Gladischio, sene venerabili, gubernabatur, nunc Leuchtenbergero rectore floret. Leuchtenbergeri et Güntheri, virorum et humanissimorum et benevolentissimorum, egregia disciplina usus vere anni h. s. LXXIX. maturitatis testimonium adeptus sum.

Ut studiis philologicis operam darem, postea Berolinum me contuli, ubi per octo semestria — per tertium et quartum simul militiae annum absolvi — in scholas veni praecipue professorum clarissimorum: Curtius, Hübner, Kirchhoff, Lazarus, Lepsius, Lotze, Müllenhoff, Robert, Scherer, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Benigne veniam mihi dederunt, ut exercitationes frequentarem philologicas Hübner et Vahlen per tria semestria, per unum epigraphicas Kirchhoff, Aristoteleas Zeller, Theodiscas Scherer.

Quos viros praestantissimos neque minus illos, a quibus antea bonas artes didici, optime de me esse meritos, grato animo profiteor, debitamque semper iis habebo gratiam.











